

Omnibus Anumarum Curatoribus utriusque Cleri salutem in domino.

Vt in Jubilæi negotio id ipsum dicant omnes ac unanimi consensu ad communem populi felicitatem operentur non nulla explananda, alia pro Christi fidelium salute Parochis et Confessariis summopere commendanda esse duximus.

imo. Ne quoad Ecclesiarum designandarum numerum aut Processionum institutionem, quod utrumque in Indictione Jubilæi cuiuslibet commisimus arbitrio, adhuc quidam vacillent, pro majori hujus dilucidatione hisce anneximus, quod si in aliquo loco quatuor reperiantur Ecclesiae, etiam quatuor designandæ, si tres, æque tres, si duæ, pariter duæ. Id ipsum fieri poterit respectu adjunctarum aut etiam in confini Parochia existentium Ecclesiarum, si tales exigua distantia a Parochialis Ecclesiae loco forent dissitæ. Visitationes processionales ita instituendæ, ut Christi fideles in singulis Ecclesiis aliquantum persistendo praescriptas preces persolvere valeant.

zdo. In commutatione visitationum Ecclesiarum in alia piæ opera, quam juxta Indictionem nostram Confessarii, ubi id necesse fuerit, instituere possunt, injungantur pro personarum conditione jejunia, eleemosynæ aut preces.